

logum in *L.L. Regum* exorfus jam *L. I. Caput primum* in v. 20. destitit, et totum deinceps suo loco repetiit. *Esdrae* Librum III. apocryphum adjecit. Prologus *Psalms* praefixus est *Petri Lombardi*. Testimonium triplex *I. Job. c. 5.* intactum sic habet a prima manu: *Quia tres sunt, qui testimonium dant in celo pater. uerbum. et spiritus sanctus. et hii tres unum sunt. et tres sunt, qui testimonium dant in terra spiritus. aqua. et sanguis.* Ad calcem accedit nota illa Vocum Hebraicarum Interpretatio alphabetica, cui adscriptum lego: *Iste liber biblie comparatus est per me petrum gnem presbiterum patav. dioc. de proprijs pecunijs pro 9. flor. vngaricalib. Actum in die georgij martiris 1473.*

## XXVII.

Codex membraneus lat. Sec. C. 940 XIV. Folior. 338. 8<sup>vo</sup>. per duas columnas minutissime exaratus, rubricisque comtus continet sacra *Biblia V. et N. T.* cum Prologis *Hieronymianis*, et solitis Librorum argumentis. *Fol. 115.* Liber *Nehemiae* inscribitur *Esdrae secundus*, et per errorem incipit: *Verba iberemie filii elchie &c.* habetque post se solum *Tertium* apocryphum. *Psalterium* in titulo audit etiam *Liber hymnorum seu soliloquiorum.* *Machabaeis* praemissi sunt Prologi *Rabani* ad *Ludovicum R.* et *Geroldum* (hic *Geraltum*) *Archidiaconum*, quos Rubrica tamen perperam *sancto ysidoro episcopo* tribuit. *Fol. 304.* *Job. I. c. 5.* testimonium terrestre sic habet: *Et tres unum sunt.* Adscriptae sunt pro more *Interpretationes hebraicorum nominum*, ad quarum calcem minio:

*Laus tibi sancte christe. quoniam liber explicit iste.*

## XXVIII.

R. 69 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 633. 8. min. per duas columnas aterrime, nitidissime, minutissimeque conscriptus, literulis initiorum picturatis et rubricis speciosus Sacra offert interpretationis vulgatae *Biblia*, et *pag. 1.* extritis et fugientibus ductibus historiam suam, e qua colligas, eum fuisse quondam Imperatoris *CPolitani*, emtumque *Cassae* de praeda pretio *Asperorum* duorum millium et quingentorum

a *Laurentio Spinula*, tumque ivisse per *Spinulas Franciscum*, *Job. Petrum*, — *Leonelem*, *Franciscum*, *Paulum*, *Job. Antonium*, ejusque fratrem *Hieronimum*. Textum praecedat primo *Genealogia Jesu Christi* retro ducta usque ad *Adam, qui fuit Dei*, tum *Epistolare* et *Evangeliare* per totum annum, ad cujus calcem: *Omnia ante scripta sunt manu domini Leonelis patris mei; sane elegantissimi.* Libri sacri *Epistolis* et *Prologis Hieronymianis* instructi excipiunt se ordine consueto. Liber III.

III. *Esdrae* propter praecedentem Librum *Nebemiae* inscribitur II. *Psalterii* titulus est: *Incipit liber ymnorum uel soliloquiorum prophete dauid de christo*. Epistolis *Paulinis* et *Canonicis* interpositi sunt *Actus Apostolorum*. I. *Job*. c. 5. post: *spiritus, aqua et sanguis* deest, et *hi tres unum sunt*. Adhaerent: *Capitulare* recentiore manu productum ad finem L. IV. *Regum*. Index ille *Nominum hebraicorum*. a prima manu, demum *Tabula* recentior *Librorum in hoc volumine contentorum*. Indici aureis literis haec subsunt: *Presens uolumen Biblie est Leonelli Vivaldi Geniti d. Barnabe emptum Caffae precio asperorum duorum millium quingentor. a Laurentio Spinula. Laus deo et Sancte Marie Magdalene. Amen*. Cultus hic, et praeter *παρεγγρα* jam adducta complures per marginem sparsae notulae satis indicant, magno in pretio et usu fuisse quondam illustri *Spinularum* Genti tum *Caffae* five *Theodosiae* commerciis plurimum florenti hunc Codicem.

## XXIX.

C. 939 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 611. 8. min. per duas columnas nitidissime aequae ac minutissime perscriptus, coloribusque illustratus, et nuper nobilis *Parthenonis Halae ad Oenum*, praefixa recentiore pictura *Universi creationem* exhibente continet sacra *Biblia V. et N. T.* cum solitis *Hieronymi* Praefationibus, et *Argumentis*. Post L.

*Nebemiae fol. 247.* reperiuntur duo *Esdrae* apocryphi, qui hic *Secundus* et *Tertius* inscribuntur. *Psalterium* deest. LL. *Machabaeorum* praefertunt *Rabani* Prologos ad *Ludovicum R.* et *Geroldum Archidiac.* Fol. 561. *Job*. I. c. 5. ad testimonium terrestre in margine alia manu adjectum est: *et hi tres unum sunt*. Ad calcem denique pro more accedunt *Interpretationes Nominum hebraicorum*.

## XXX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 71 XIV. Folior. nunc 342. 8. per duas columnas minutissime, sed nitide exaratus, et coloribus illustratus comprehendit sacra *Biblia U. T.* vulgati interpretis, Epistolis et Prologis *Hieronymianis* munita ordine *Librorum* consueto. Verum a parte c. 25. L. II. *Paralip.* usque ad *Isaiae* medium c. 63. exciderunt omnia, et iterum finis *Epistolae III. Job.* cum principio *Epistolae Judae* deperiit; *Apocalypsis* autem nunquam addita fuisse videtur. Libri *Machab.* praefixos habent notos illos *Rabani M.* Prologos ad *Ludovicum Regem* et *Geroldum Archidiaconum*. *Actus Apostolorum* inter *Epistolas Pauli* et *Canonicas* interjacent. I. *Job*. 5. adest quidem totum utrumque Testimonium, sed in terrestri verba illa: *et hi tres unum sunt*, punctulis subnotantur. Finem facit, ut solet, *Nominum hebraicorum Interpretatio*.

## XXXI.